

LEODEGARIA

13

Quercu oratiuncula, Lutetiæ
habita Kalend. Octob. cum
auspicaturus esset Timæum
Ciceronis in Atheneo Barba-
rano. 1557.



*Prostant apud viduam Petri attignant,
in vico Citharæ, iuxta templum
dii Cosmæ.*

Leodegarij à Quercu oratiun-

CVLA, LVTETIÆ HABITA

Kal. Octob. cum auspicatorus esset Ti-
mæum Ciceronis in Atheneo

Barbarano 1557.



*V*æ quòdam inualuit apud Romanos con-
suetudo (auditores) ut nemo militia ascribe-
retur, qui vel annis septemdecim minor esset,
vel maior annis quadraginta sex, eadem per-
inde seruanda est in exercitu Mineruali: ut conquisitores
iubeant tyrunculos in umbraculis & otio prius veli-
tari, quàm in solem & puluerem veniant, diuque parere
imperio antequam imperet: Imperatores verò atate iam
affectos, rude donent, quòd hi præduri sint & effæti, illi
belli rudimentis immaturi. Quam ego legem non ut vo-
ce modò, sed vita etiam cõprobarem, anno superiore cum
me iam rudiarium, & inutile bello Veianium sentirem,
pro virili sum conatus inter exauthoratos numerari, se-
quutus illud Horatianum,

» Salue senescentem maturè sanus equum, ne

» Peccet ad extremum ridendus, & illia ducat:

Sed enim hoc consilij quod iniueram fregit Iacobus Car-
pentarius rhetorum & philosophorum huius Acade-
mie sine controuersia princeps: qui delectum cum habe-
ret voluit antiquo me includere ludo, & in eisdem secum
versari castris. Cui licet illud occinerem, Non eadem est
etas, non mens, tamen cum mea in eum literatòsque om-

nes singulari obseruātia, tum dicendi facultate mirifica,
emerito persuasit ut denuo mererem. Dedi igitur nomē,
& pro more sacramento me obstringens, feci sub illo im-
peratore stipēdia, nec hercle quasi ferentarius, sed præter
votum primipilus: ubi igitur in acie, in specula, in sta-
tione, in præsidio annum iam integrū transmisissem, ma-
nubiarum amplissimarum particeps, de missione (velut
causarius) impetranda cogitavi, præsertim cum intellige-
rem nostra castra trophis clara,

„ Ipsa suis pollere opibus, nihil indiga nostri,
vallo & fossa egregiè muniri, commeatu affluere, armis
vigere, militibus redundare, ducibus florere, denique om-
nia loco esse quàm optimo. Quibus ego de rebus ut fortu-
natus mihi visus sum, quòd harum pars magna feror, ita
letitia exsilij quòd spes libertatis erat, vitæque quietæ,
Verùm nisi me animus fallit nunquam seruitio me exire
licebit, & labor labori succedet, velut vnda superuenit
vndam. Nam cum huius nobilissimi Gymnasij Barba-
rani prudētissimus moderator Robertus Certus vir om-
ni virtutū genere cōspicius audiisset nostris auspitiis rem
Burgundianam non infeliciter processisse, mecum agere
cepit ne iam otio & inertia me dederem, nondum me se-
nem, ac si etiam senescere canities testaretur, tamen senū
quàm iuuenum industria potius vti statuisse: quòd nun-
quam ingenium & rerum prudentia velox ante pilos ve-
nit, nec cornicatur ineptè quem longa erudiit rerum expe-
riencia. Itaq; ut Lucullus olim militē, ita me affatus est,

„ I bone quòd virtus tua te vocat, I pede fausto,

„Grandia laturus meritorum præmia, quid stas?
Equidē & si cōstituissem nullius posthac iurare in verba
magistri, tamē hæc vox blādissima mihi alioqui ignauif-
simo animos addidit, & (si verū fateri velim) cristas ere-
xit. Nam si magnū hinc honorem sum adeptus, quod Ia-
cobus Carpētarius (sæculi nostri Chrysippus) ad res acci-
sas, ad parietinas & ruinas fulciendas opitulatorem me
vocarit, quantò honorificentius putandum est quod non
tam ad periculū aut bellum, quàm ad partum iam apud
Barbaranos triumphum vocer? Non enim minoris lau-
dis est profiteri literas politiores de suggestu Barbarano,
quàm vel Romæ triumphare, vel olympionicem fieri. Vt
enim diuinā domus Lutetia inter alias urbes principem
locum tenet, ita Lutetianorum Gymnasiorum logē cele-
berrimū semper fuit Barbaranū: quod iisdē rebus palmā
consequutum est, quibus olim Athenæ, situ loci, & diser-
torum rhetorum, acutorūque philosophorum frequen-
tia. Quis enim nescit scholam Barbaranam ob id equum
Durateum passim vocari, quod ut ille ex utero & cauer-
nis ingentibus innumeros principes fudit, ita Barbarana
schola propè infinitos dicendi differendique principes sup-
peditaui. Hinc ab Eburonicum episcopo euocatus Iaco-
bus Lodoicus Strebæus: cuius eruditio quàm fuerit mul-
tiplex, quàm recondita, quàm solida, satis loquuntur eius
laboriosæ in Ciceronē annotationes. Hinc à duce Longo-
uilleo assumptus Hēricus Laberius, Lutetiæ (dum viue-
ret) ornamentum & dulce decus. Hinc à Lusitanorum
rege amplissimis præmiis ad instituendum filium acci-

Antonius pinus
felic. Hinc à
literarum
eloqui
Barbolomæus
vterq; ut e
ita utroque n
Orpheo Ca
primum, de
Antonius Go
dubitat qu
conclusionum li
graues in
ego hæc autem
licet reliquos
lectionibus sch
ego cum tam di
Phylomela
ita, ita meros de
niger in ripis
eter led. eos rid
Aut ubi multi
improba Cæro
od si in triviat
umore anserum
docere, posse
pigmæos. Hic
pigmæus. Ita

rus Antonius pinus, vir non minus dicendo quàm scribendo felix. Hinc à Francisco rege Galliarum (optimo patriæ & literarum parente) ad regiam cathedram perducta sunt duò eloquentiæ & philosophiæ clarissima lumina Bartholomæus Latomus, & Adrianus turnebus. Quorum uterq; ut est omnibus ingenuis artibus egregiè politus, ita utroque non minus superbit Barbarana schola quàm Orpheo Calliopæa, lino formosus Apollo. Hinc Tolosam primum, deinde, Cadurcum, postea Valentiam raptus Antonius Goueanus, de cuius incredibili doctrina nemo dubitat qui illius festina epigrammata, argutum conclusionum librum, acutam in P. Ramum disputationem, graues in ius ciuile commentarios viderit. Sed quid ego hæc autem? Et si enim vobis libet, non tamen forsan licet reliquos audire professores, quorum eruditissimis lectionibus schola Barbarana nobilitata est. Quorum ego cum tam dissimilis sim quàm vel coruus olororum, vel pica Philomelarum, futurum metuo ne in eorum suggestu, ita meros de me dem lusus,

„ Vt niger in ripis errat dum forte Caystri,

„ Inter ledeos ridetur coruus olores:

„ Aut ubi multifona feruet sacer Attide lucus,

„ Improba Cæropias offendit pica querellas.

Quod si in triniuali quodam literario ludo ubi vel rhetorculi more anserum strepunt, vel philosophastri tricantur, literas docerè, posse aliquo esse in numero, ut pumilio inter pigmaeos. Hic verò inter Palladios gygates vix videbor Pigmaeus. Itaq; nemo eorum qui docedo discunt, ausus

est unquam ad suggestum Barbaranum aspirare, quòd
intelligeret in musarum domo non esse graculis locum.

Quot enim grammaticis & rhetoribus hìc occurreris, tot
Quintilianos iudicabis: quot philosophiæ professores hìc
habebis obuios, tot platonos agnosces, quot gymnasiar-
chas, tot Catones, quot discipulos, tot musarum partus:
ut non abs re hoc Atheneum ita gloriari possit, ut ille
apud Ennium Africanus,

„ Asole ex oriente supra moxtida, nemo

„ Est, qui me meritis aequiparare queat.

Quapropter ut olim bonarum artium studiosi Appollo-
niam, aut Rhodum, aut Athenas nauigabāt, sic earum-
dem rerum candidati ad hæc barbarana umbracula ve-
lut ad Apolonij diatribam, aut Socratis platanos adcur-
runt, opinantes aëris salubritatem non paulò magis con-
ducere corporibus, quàm autoritatē (loci ubi tot heroës
albis equis triumpharint) animos inflammare ad literas
capessendas. Quis enim hoc credat Miliadis tropheam
Themistoclem dormire non fuisse? aut Alexandri ma-
gni statuas Iulium Cæsarem ad gloriæ studium excita-
uisse, summorum verò rhetorum & philosophorum au-
ditoria nil habere stimulorum? Equidem præclare illud
(ut cætera omnia) Cicero, Nò errore, sed natura datum
nobis est, ut cum ea loca videamus in quibus memoria di-
gnos viros acceperimus multum esse versatos, magis mo-
ueamur, quàm si quando eorum ipsorū aut facta audia-
mus, aut scripta legamus. Locus enim ipse non modo vi-
rorum memoriam afferre videtur, sed etiam ipsos penè

in conspectu ponit. Et profectò ut in fertilibus plantariis
si frutices aut herba stirpitus auellantur, deciduo tamen
semine nouus aliquis frutex aut herba renascitur, sic ex
hac feracissima diuinorum ingeniorum Isocratea schola
cum abeunt eruditi professores, eruditionis illorum rema-
nent uberrima seminaria, quibus viuere & vernare non
desinit. Nec fieri potest quin tantæ pulchritudinis aspe-
ctu prouocentur incolæ, ut eorum similes esse studeant,
quorum laudatissima intuentur monimenta. Caterùm
ne vetustate collabasceret (ut mortalia solent) hic locus
charitibus & musis sacer, eum redintegrauit, aut potius
ex lapideo marmoreum reddidit, amplissimòque prouen-
tu locupletauit Robertus Gasteus Coquereticæ domus
spectatissimus gymnasiarcha,

„ Cui det Nestoreos aternus Iuppiter annos,

„ Nestoreum quoniam pectus & ora dedit.

Quis enim huic integerrimo seni nõ bene ominetur? quis
non lata omnia præcetur? quis nõ immortalibus maiores
gratias agat quod nobis musas, musis suũ restituerit mu-
sauni? ad quod cum me per suarum fortunarum & vir-
tutis heredem Robertum Certum vocauerit, nolentique
& diu recusanti munus hoc interpretandi (cui me impa-
rem fatebar) obtulerit, debeo ei quidem quantum nun-
quam soluturus sim pro tam honorifica de me opinione:
quã si satis cum dignitate & laude sustinere nequeã, noli-
te (obsecro) temeritati, aut impudentiæ potius ascribere,
quàm obsequiosæ humanitati. Is enim semper fui qui in
eam peccare partem maluerim, ut parum prudens vide-

rer quàm parum beneuolus. Quanquam si ea attentio, ea
docilitas & comitas mihi nunc præstetur, quæ olim cum
hîc ordinẽ primum ducerem, vel quæ proximè apud Bur
gundos (qui omnes humanitatis numeros erga me exple
uerunt) tam magna pars grauissimi oneris (cui succum
berem) detrahetur, ut vix sit futura difficilior perficiun
di facultus quàm fuerit aggrediendi volûtas. Quam rē
benignissimè vos cõcessuros confido, tum ob eam quam in
me dudum sensistis ad prouehenda vestra studia propen
sitate: tum ob loci huius amplissimi dignitatem, cui lin
guis & animis fauendum, tum ob Ciceronis (quem enar
randum suscepi) celebritatem: Qui arcana quadã vi suæ
eloquentiæ non secus ad se omnes allicit quàm vel ma
gnes ferrum, vel Cæcias nubes: Qui incredibili quadam
magnitudine ingenij superiores omnes vicit, & posteris
spem sui imitandi penitus ademit: Qui nõ minus grauis
& sententiosus philosophus, quàm vehemens & cõsum
matus orator, nomen longius propagauit quàm Romani
suos fines: Qui dono quodã prouidetiæ genitus existima
tur, in quo totas vires eloquẽtia experiretur. Quapropter
plenum insolentiæ videatur si quis illius laudes vel cone
tur cõmendare quæ per se sunt amplissima, vel recensere,
quæ sunt innumeræ: vel quoniam modo demonstrare, quarũ
lumen oculos, mentesque præstringit. Itaque cum melius
à diuinissimis suis operibus quàm à cuiusquam ore lau
detur, omisso præconio eius præclarissimũ Timaem dex
tris auguriis auspicabor, si precibus à vobis impetrarim
ut vestra beneuolentia nostræ velit industriæ fauere.

Dixi.

E O D
E V E R C
cula, qua
turus esse
Val. Ma
regium B
num, ann

Prostant ap
in vico